

modam veritatem omni qua debuit dilygencia provestigans, beati Dyonisii ossa venerabilia intra beatissimi Emmerammi ecclesiam pretaxatam infallibiliter comperit integraliter contineri, perque Francorum legatos, qui et ipsi omnibus hiis presentes intererant ac oculotenus aspexerant veritatem, toti rem gestam Francie promulgavit, omne^a ambiguum eradicans. Nos quoque pre gaudio lacrimantes tam papaliter quam fideliter hortabatur, ut imperiales super hoc nostre epistole in omnem Germanie terram exirent et in fines eiusdem apostolice diffinicionis litere mitterentur et verba, quatenus omnes Alemannigene tante gracie se exhibeant non ingratos, sed voce simul et corde tripudiantes, apostoli Pauli discipulum et heredem intra se invenisse se gaudeant et exultent eiusque corporis sacras venerandasque reliquias cum spiritu humilitatis animo contrito, visitacione devota non desinant frequentare ab uno precipuoque de fontibus salvatoris aquas gracie salutaris in gaudio haurituri. Quod nos quoque diligencius exequentes universitatem vestram monemus attencius et hortamur, ut non in vacuum graciam Dei recipiatis, sed Gallorum apostolum ac doctorem, quibus illum vivum habere concessum est, Germania nostra recipiat vel defunctum eiusque intra se ossa gaudeat confoveri, quem habere se socium et concivem omnis sanctorum in celis exercitus gratulatur.

Facta vero est determinacio ista de iam dictis anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi MLII^o, presentibus Beldingo Iuvavensis ecclesie archyepiscopo, Dominico patriarcha de Venecia, Humberto sancte Rufine^a ecclesie episcopo, Otkero Perusine ecclesie episcopo, Gebhardo Ratisponensis ecclesie episcopo, Severo Bragensi episcopo; indiccione quinta, nonas Octobris, in ecclesia sancti Emmerammi Ratispone'.

Die Zeugenreihe dieser gefälschten Urkunde stimmt im Wesentlichen überein mit den Angaben in den Notis S. Emmerammi saec. XII, SS. XVII, p. 572: 'Anno ab incarnatione Domini 1052. dompno papa Leone nono et Beldingo Iuvavensis ecclesie archiepiscopo aliisque episcopis, Gebhardo scilicet Ratisponensis aecclesiae antistite et Severo Pragensis ecclesiae episcopo et Humperto sanctae Rufinae ecclesiae presule et Otkero Perusine ecclesie episcopo et Gebehardo Eistetensis ecclesiae, qui postea papa effectus est, episcopo simulque patriarcha Dominico Gradensis ecclesie presentibus et imperatore Heinrico tercio translatum est corpus sancti Wolfgangi'; und noch genauer mit Auct. Ekkeh. Altah., SS. XVII, p. 364: ' . . presentibus Beldingo Iuvavensis ecclesie archiepiscopo et Dominico patriarcha

a) cotenne c. b) Rosine c.